



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij  
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||  
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... à Pascha usque || ad Aduentum,|| ...

**Eck, Johannes**

**1534**

**VD16 E 292**

Dom. III. post pente. Euan. Homo q[ui]da[m] fecit cœna[m]. Luc. 14  
Homiliæ tres

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35259**

## DOMINICA TERTIA

POST FERIAS PENTECOSTES, euange. Luca XIII.

**I**n illo tempore dixit Iesus parabolam hanc: Homo quidam fecit cenam magnam, & uocauit multos, & misit seruum suum hora cenae, dicere inuitatis ut uenirent, quia iam parata sunt omnia. Et ceperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse habeo exire & uidere illam. rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit: Iuga bouum emi quinque, & eo probare illa. rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non possum uenire. Et reuersus seruus, nunciauit haec domino suo. Tunc iratus pater familias, dixit seruo suo: Exi cito in plateas & uicos ciuitatis, & pauperes ac debiles & caecos & claudos introduc huc. Et ait seruus: Domine, factum est ut imperasti, & adhuc locus est. Et ait dominus seruo: Exi in uias & sepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico autem uobis, quia nemo uirorum illorum qui uocati sunt, gustabit cenam meam.

## HOMILIA PRIMA.

**C**harissimi, hoc euangelio docemur subinde cogitare uocatos nos esse ad uitam aeternam, neque plus operae absumere in rebus terrenis quam caelestibus. **Matth. 6.** Instruimur quoque geminam esse uitam, qua deus uocat hominem: alteram in benignitate, cum horrore & coactione altera. Et quis hic doctores uaria explicat coe



nam, nos tamen eos porissimum sequamur, qui eam referunt ad felicitatem æternam, non neglecturi interim ea

**Ambrosi.** quæ hic habet **Ambrosius**. Rationem porro & occasionem huic euangelio Iudæus quidam dedit sermone suo: nam quum in sabbato dominus inuitatus esset à quodam principe pharisæorum, & ibidem hydropicum curasset, atq; super hæc tum dominus doceret illos humilitatem in accubitu, & modum inuitandi pauperes, unde eis retribuere in resurrectione iustorum, sublata uoce dixit quidam recumbens in mensa: **Beatus** qui manducabit panem in regno dei. **Ex** hoc tadem pane mitissimus dominus cenam totam instituit, de qua hoc euangelium iam omisis omnibus circumstantiis breuiter explicabimus.

**Homo**, inquit, quidam fecit cenam magnam. Hæc narratio quum sit parabola quædam, expositionem quo ad literam tantum habet spiritualem. **At** quis est iste homo, nisi ille de quo per prophetam dicit: **Homo** est, & quis cognouit eum? (secundum Septuaginta, quia in translatione Hieronymi non sic legit) **Homo** igitur ille deus ipse est, uel etiam **Christus** uerus deus & homo. & homo quidem deus dicitur, ob immensam suam tum bonitatem tum misericordiam, cuius rei hic rationem reddens **Theophylactus**,

**Theoph.** ait: **Quando** uindicatiuam dei uirtutem scriptura significat, pantheram, uersum & pardum eum uocat. quando autem misericordiam uult in sinuare, hominem inducit. **Quando** igitur miris modis bonitatem suam dominus declarat in sacramento altaris, quo participes nos facit corporis & sanguinis filij sui, atq; eandem adhuc haberiorem exhibiturus est in cena felicitatis æternæ, merito eum scriptura hominem uocat, qui naturaliter animo est placido & benigno, multumq; sociali. **Quamobrem** & **Sapiens** spiritum dei, sanctum, modestum, humanum, benignum etiam uocat & secus. neq; multo ante dicit, **Quia** benignus est spiritus dei. **Quando** autem ad **Christum** hoc referimus, facile collectu est, quomodo sit ille homo, qui homo natus, qui hominem redemit, qui cenam hanc instruxit, iuxta illud: **Ego** dispono uobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno dei. siue autem de **Christo**, siue de deo patre intelligat,

**Sapi. 1.7**

**Luce. 12**



uterq; sane is est, qui felicitatem nobis pręparat, qui cęnam instruit. Atq; in hoc filius dei descendit de cęlo, ut ad hanc cęnam nos reuocaret, quatenus & nos hospites ipsius essemus. sic enim deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Atq; de huius cęnę pręparatione dicit propheta: **Oculus non uidit absq; te deus, quę pręparasti expectantibus te.** Quę alludit Paulus, inquit: **Oculus non uidit, neq; auris audiuit, neq; in cor hois ascendit quod pręparauit deus diligentibus se.** Sed & Christus cęnam hanc parat, quia mansiones parat, sicut ipse testatur, quum ait: **In domo patris mei mansiones multę sunt. Si quominus dixissem uobis, quia uado parare uobis locum. Omnia ita parata sunt, ut quę instructissima, siquidem in dulcedine parauit deus, ut ait David.**

**Psalm. 76**

2. Neq; uero temere summa dei sapientia dixit, quia cęnam fecit, quoniam satietatem nobis internę dulcedinis pręparauit. Quę autem cęnam, non prandium commemorat? sane hinc constat parabolam hanc non eandę esse cum illa Matthęi de prandio, ubi & quę in hoc mudo sit, insinuat manducatio, a qua multi recluduntur, idq; adhuc mane est. Hic autem aternę glorię saturitas proponitur nomine cęnę, postquam aliud non comeditur. sic enim & beati nullius alterius cibi gustum, nisi glorię det expectant. Illic ex prandio quidam reſciebat in tenebras exteriores, quoniam multi ecclesia excidunt per hęreses & alia peccata: hic autem nemo retruditur, sed quorquot sunt in felicitate, confirmati sunt nec unquam excidunt. De potu cęnę huius loquitur dominus apud Matthęum, dicens: **A modo non bibam de genimine uitę huius, donec bibam illud nouum uobiscum in regno meo.** Porro qui parabolam hanc referunt ad sacramentũ, etiam facili ducunt persuasiõne, cur illud cęnę nomine accipiat. siquidem extremis temporibus, atq; omnino sub uesperum mudi huius uenit Christus: sicq; nouissimi diebus istis locus est nobis deus in filio suo. sic Iohannes iam inqt, **Hora nouissima est, usq; adeo comode sacramentum cęnę confert, quando & agnũ illũ typicũ Iudęi uesperu manducabant. Tũ demũ exorta est lux euangelica, cũ lex Mosaica occidit: & quando Iohannes car**

**Johan. 3**

**Isaie. 61**  
**1. Corin. 2**

**Johan. 14**

**Gregori.**

**Matth. 22**

**Chrysost.**

**Matth. 26**

**Heb. 1**

**1. Ioh. 2**



3:8  
**Matth.** 4  
**Apoc.** 19

ceribus clausus est, **CHRISTVS** prædicare cepit: sic beati rudinem quoque Iohannes cœnam appellauit, dicens: Beati qui ad cœnam agni uocati sunt. Neque etiam absolute cœnam uocat, sed & magnâ. Magna enim cœna illa est uenerabilis sacramenti, ubi **Christus** ipse manducatur.

**Apoc.** 21

**Lucę.** 12

**Ihesu.** 1

**Gregori.** 9

**1. Tim.** 2

**Matth.** 11

**Roma.** 10  
**Psalm.** 18

**Matth.** 20  
**Roma.** 8

**Theoph.**  
**Philip.** 2

Quamobrem & Sapiens inquit: Ad mensam magnam sedisti. scias itaque talia te præparare debere. sed hæc materia in die cœnæ domini tam supra absoluta est. Magna etiam cœna est uitæ æternæ, ubi tantum gaudiū est, ubi amplius neque labor erit, nec ullus dolor, quoniam priora transferunt. De hac lætitia dicturi sumus in homilia de felicitate perpetua, quæ sane cœna magna erit, quæ tibi discumbere faciet inuitatos, & circumiens ministrabit eis, quod etiã per illud Assueri cõuiuuium iam olim est designatum.

2. ¶ Sequitur, Et uocauit multos, pauci autem uenerunt, quoniam nonnunquam ipsi q̄ domino per fidem subiecti sunt, æterno eius conuiuio male uiuendo contradicunt,

Vocauit, inquã, multos, quia uult omnes homines saluos fieri. Omnes nos uocauit ad uitam æternam, quando in hunc mundum natus homo clamauit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos, per seipsum uocat deus totum mundum suo instinctu alliciens, per ministros quoque prædicatores uocat homines ad hæc cœnam. Totumq; adeo mundum audiuisse euangelium Christi, testatur Paulus, quum ait: Nonne audierunt? quia in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Sic itaque multos uocauit, puta uocatione communi, qua multi uocantur, pauci tamen eliguntur. neque enim hic dominus de illa singulari & gloriosa uocatione loquitur, qua soli boni uocantur, & de qua Paulus, quos, inquit, prædestinauit deus conformes fieri imaginis filiæ sui, & quos prædestinauit, hos & uocauit.

¶ Et misit seruum suum hora cœnæ, dicere inuitatis ut uenirent. Sed q̄s est ille seruus? is nimirum, q̄ forma serui adsumpta filius dei homo factus, & ut homo missus eẽ dicitur. Diceres autem, Atq; dominus ipse est **Christus** quo modo igitur seruus erit? sane, dominus ille est, quia filius



dei atque adeo deus ipse: sed tamen **Christus** deo patri non solummodo placuit ut filius unigenitus, uerū etiā secundum humanā naturā, qua omni caruit labe peccati, paternūq; consilio paruit & uoluntati: & quum omnem impleuerit iustitiā, dicitur seruire deo patri, quamobrem & hic tantum filius dei appellatur. Vnde etiā dicit dominus, quia misit seruum suum hora cœnæ, quoniā non initio mundi natus est **Christus**, sed nouissimis demum temporibus filius dei homo factus est. **Gregorius** hic per seruum totum intelligit ordinem predicatorum, qui nisi mittantur, quo quæso modo prædicabunt? sic primum apostolos, deinde septuaginta duos emisit dominus ad prædicandū, dicitq; illis: Ecce ego mitto uos sicut oues in medio luporum. Seruus itaq; totum representat ordinem eorum, qui prædicant uerbum dei: qui quum primo cœpisset in patriarhis, per prophetas ad **Christum** usq; peruenit: is deinde officium illud apostolis demādauit, unde ad doctores promana uia, in quibus consummabitur usq; ad consummationem seculi. Vbi populum adhortatur **Gregorius**, ne intueatur uitam prædicantium & indignitatem exequendi muneris, dicens: Quamuis adhuc indigni existimus, quāuis peccatorū ponderibus grauamur, & tamen quū uobis de edificatione uestra aliquid loquor, hoc est quod ago. seruus enim sum summi patris familiās. nemo me propter me hoc in loco despiciat. etsi ad inuitandū non sum dignus, magnæ tamen sunt deliciae quas promitto. Quin potius sic facite, ut in alijs rebus euenit, quando enim dominus aliquis seruum ad uos mittit, non utiq; ipsius personā consideratis, sed magnificentiam domini qui misit illum. De missione autem predicatorū: multa habemus in scriptura, quā niam huiusmodi seruus **Jeremias** erat, quomodo dixit dñs itur: ad omnem populū, quocunq; miserit illum, & locuturum quicquid iusserit ipse. Dices, nūc neminem a deo mitti. Imo quamuis non immediate prædicandi potestatem accipiūt a deo, tamē a uicarijs illius mittuntur, qui ipsi successerūt, quos citra medium misit dominus, sicut apostoli immediate missi sunt a deo, quibus dixit **Christus**: Quē admodū me misit pater, ita uicissim mitto uos. Apostoli deinceps alios miserunt, sic enim **Paulus** ait, **Titum** ideo

Y ij

**Gregor.****Roma. 10.****Luc. 9. 12****Gregor.****Jeremi.****Johan. 10.****Tit. 1.**



se in Creta reliquisse, ut in ciuitatibus presbyteros ordinarer. Id nunc quoque faciunt successores apostolorum episcopi, qui presbyteros undique ordinant, iuxta institutum Pauli & spiritus sancti instinctum. Agnoscere iraque & uenerari deberis ab eis missos, non secus ac si deus illos misisset.

**Num. 17** Quia sic deus Aaronem ipse elegit in exordium legalis sacerdotij, electionemque per uirgam miraculose confirmauit, quod deinceps necessarium non erat, sed sufficebat ordine & modo semel coepo ordinari sacerdotes. Ita nunc quoque charissimi, uos seruos illos tanquam a deo missos accipite, quicumque a legitimis magistratibus ad uos ueniunt, iuxta ritum ecclesiae a Christo institutum. Quorquor autem per hoc ostium non intrant, sed aliunde ascendunt, aut ut

**Johan. 10** irrumpunt, fures sunt & latrones. quod nunc faciunt neochristiani, qui ad predicandum ante currunt quam mittantur, non igitur sunt ministri dei, sed mancipia diaboli & praecursores Antichristi.

4. Quando ait dominus, quod misit seruum suum hora coenae, si per seruum Christum ipsam intelligimus, horam coenae iam ante explicauimus. In autem praedicatores accipimus, tunc sane hora illa est, qua homines se ad coenam parare debent, eaque hora tota haec est uita.

**Gregori. 9.** Si itaque iam hora coenae est quum uocamur, tanto minus nos debemus excusare a conuiuio dei. Praecipue autem ablegauit & emisit dominus seruum suum hac extrema mundi aetate, idque a Christo nato usque ad finem mundi, nos enim sumus, ait Paulus, in quos seculorum fines deuen-

**1. Cori. 10.** runt. Atque ideo ab origine mundi omnes homines uocati sunt ad hanc coenam & inuitati; uerum post Christum tamen

**1. Johan. 2** uenerunt serui diuinitus missi, atque inuitatis adnuntiauerunt omnia esse parata. Vocati sunt omnes, alij quidem per legem naturalem, alij uero per ordinatissimam illam

**Roma. 1** rerum uisibilem dispositionem. sic enim dicit Apostolus: Inuisibilia dei a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius uirtus & diuinitas. Atque deinceps: Gentes quae legem non habent, naturaliter quae legis sunt faciunt. Neque tamen paulo manifestius inuitati sunt ad hanc coenam iudaei, qui suam habu-

**Roma. 2** ere legem, patriarchas quoque & prophetas. sed coena pa-



rata nondum erat, tantisper dum ueniret **Christus**, appropinquante iam hora cœnæ, sicut dixit dominus: **Pœnitentiam agite**, appropinquabit enim regnum cœlorum. neq; sic tamen parata cœna erat, quare adhuc deinceps **Christus** promisit discipulis suis se paraturum locum. sicq; omnia demum passione, morte, resurrectione & ascensione **Christi** sunt parata. Et tunc tandem emisit ille seruos, qui inuitatis dicerent omnia esse parata, quod antea internuncius nullus, quantumuis uel patriarcha, uel propheta præstare potuisset, sed apostoli dentq; dicere potuerunt, quâdo **Christum** audierunt sibi dicentem: **Ite in orbem uniuersum, & prædicat euangelium omni creaturæ.** Ecce missionem. Quoniam autem parata sint omnia, sequitur: **Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.** Ecce cœnam instructissimam. Nos modo curemus, ut parati simus ad illam. Aliunde nanq; docemur uirgines tantum & prudentes, & eas quoq; paratas introiisse cum sponso, reliq; uero exclusis dictum esse à domino: **Nescio uos.** At quem nescit dominus? quisquis non est ouis illius, quisquis uocẽ eius non audit, nec sequitur illum. Vos itaq; dilectissimi, quum uidetis omnes nos esse inuitatos: idq; adeo auditis prædicatores uobis denunciare, & parata esse omnia: uos inquam metipsos parate, ne cœnam hanc negligatis, quã omnibus nobis lætam feliciter contingere sinat, penes quem est felicitas summa, quiq; est benedictus in secula. Amen.

Matt h. 4

Matt h. 25  
Johan. 10

## HOMILIA SECUNDA SVPER

## Euangelio dominicæ tertiæ

**A**eternæ uitæ gaudia, fratres, ardenti animo concupiscere nos docet dominus, proposita in hoc parabola cœnæ, ad quam ille omnes homines uocauit, seruumq; suum misit, qui inuitatos uenire iuberet, & denunciaret omnia esse parata, quatenus sic nos quoq; ad cœnam illam uenire mereamur agni immaculati. & subito qui inuitati fuerat recusarunt uenire, & singuli se excusare cœperunt. Ecce hic dominus uere potentissimus pauperulos inuitauit, & isti uenire abnuunt. Vnde & **Gregorius?**

iij Y



**L. 13. c. 3**  
de trini.  
dei.

**Matth. 19**

**Gregor. 9.**

**Ambrosi. 9.**

**Gene. 3**

**Excusare**

**peccatum.**

**Psalm. 14.**

**Psalm. 70.**

**Psalm. 140.**

gorius dicit: **Offert deus quod rogari debuerat, non rogatus dare uult, quod uix sperari poterat, & tamen contemnitur. ad dei inuitamur conuiuium, & nos excusamus. Audio autem, aut certe ex uobis nonnullos mihi audire uideor dicentes: Nolumus nos excusare, ad cœnam illâ eternam cupimus uenire cum gaudio. Audio & uerum quidem est, quod bene ab Augustino cuiusdam Mimi facillimi prædicatur urbanitas, qui quum se promississet in theatro quid in animo haberent & uellent omnes, dicturum, atq; ad diem constitutum ingenti expectatione maior multitudo conueniret, suspensis & silentibus omnibus, dixisse perhibetur, Vili uultis emere, & care uendere. Qui si dixisset, felices omnes esse uultis, miser nemo, quanto rectius sensisset? Plane enim sic ego quoque facile crediderim omnes uos cupere quidem ad hanc cœnam uenire, sed operari bonum oportet, & (ut ait CHRISTVS) seruare mandata dei, si uitam ingredi uultis. Mentis igitur uestræ uerum dicunt, si non plus terrena quam cœlestia diligunt, si non amplius rebus corporalibus quam spiritualibus occupantur: ne & uos excusetis cum rebus nihili, quas chariores habeatis uita æterna. qui enim se excusare conantur, ipso facto se magis in culpa esse testantur. si quidem huiusmodi homines ideo se excusant, quia ne mint intercluditur regnum, nisi ei quem professio uocis suæ excluderit.**

**Male fit, si quis peccat: deterius fit, quum peccatum excusat, cuius rei exemplar uiuum habemus in primis parentibus nostris, quibus non satis fuit deum offendisse, nisi in super iram dei magis concitarent aduersus se offensam expurgando. Adam peccati culpam rejiciebat in Eua: Mulier, inquit, quam dedisti mihi coniuugem, dedit mihi de ligno, & manducaui. Eua, ne crimen sineret suæ ceruicis imminens, in serpentem illud coniecit. Vnde Glosa quædam super Psalmo 14. sic habet: Pessimum omnino uitium est excusare. & alia, Malum est peccare: peius, in peccato perseverare: pessimum, uelle peccatum excusare, uel in deum conijcere. Namq; nisi ista peccati excusatio peccatum magnum esset, non adeo sollicitè orasset Dauid dominum, ne declinaret cor suum in uerba ma**



litia, ad excusandas excusationes in peccatis. Multa super hoc uirio dici possent, quando saepe multumque corrigi, quod peccata nostra purgare conamur: idque innata ista malignitas facit in nobis, ut semper fucum & praetextum quaeramus peccati. Atque uicissim dici non potest, quam temerarij simus in iudicandis proximis nostris, quamque oculati simus in ostendenda festuca & eijcienda ex oculis proximi, atque in trabe oculi nostri plus quam laminae & talpae. Aliter nos docuit sanctus Bernardus: Noli, inquit, iudicare proximum tuum, sed magis excusare, excusa intentionem, si opus non potes. Verum nos nobis indulgentissimi, alijs sumus durissimi.

Luce 6

Sup. Cani

2. Priusquam autem progrediamur in textu, pauca adhuc super excusatione peccatorum dicenda supersunt, ut sic doceamini illam magis euitare. innatum enim sibi uitium hoc habet natura nostra iam inde a protoplasto statim infecta, libendo peccatum committere, commissum negando abscondere, & conuictum defendendo excusare. Quapropter Glossa quaedam super Isaiam hominem hericio confert, qui quum fugatur, caput & pedes conspicitur, sed apprehensus in sphaeram colligitur. Ita homo tantisper dum bene uiuit, neminem ueretur, caput & pedes manifeste gestat, quum primum autem in peccato aliquo captius deprehenditur, erubescit statim & inuoluit se dolosa implicans excusatione.

S. Iero. li.

22. moral.

cap. 13

Iste. 34

Huiusmodi hericus fuit Adam in paradiso: fuit & Aaron, dum excusaret se de uirulo costatili. Talis fuit hericus etiam Saul, sacrificans antequam ueniret Samuel. Sicque per omnem scripturam sacram inuenies huiusmodi hericos, quibus nunc uniuersus mundus abundat. Corripe iuuenem, argue uirginem de malo, & statim inuoluit se, malis aliorum exemplis excusantes suam prauitatem, usque adeo omnes suis uitijs praetextum quaerunt. Vis autem habere huius excusationis radicem? En tibi superbi am, quae ut plurimum abstrahit homines a gratia dei, a penitentia uera & cognitione sui, atque non raro pertingit usque ad blasphemiam dei, nam quum superbit homo huiusmodi, statim excusat, nolens haberi pro eo, qui

Gene. 5

Exodi. 32.

1. Reg. 11.

Y iij



tale quid committat. Sic Bernardus ait: Quum superbo imputat culpa, crescit, non amputat: quia quum argutus fuerit, cor eius declinat ad excusanda peccata. Quilibet enim dicit se non fecisse, aut fecisse adfirmat, sed iniquum non esse adserit: aut certe intentione excusat, quia uia si nihil proficit, in alios culpam transfert. Hinc iam patet quod ratione radicis excusatio ista peccati, peccatum est: atque ut ouum nidi refert fetorem, ira excusatio secum uitium trahit superbia, ut quum quis peccati sui noxam in deum coniscere nititur aut aliam creaturam, peccat iam denuo: uel quum aliquis uitiorum suorum causam in deum conditorem, seu influxum caelestem transferre conatur. Iniquum est autem huiusmodi sibi querere pretextum, quod & David prohibuit, dicens: Nolite extollere in altum cornu uestrum, nolite loqui aduersus deum iniquitatem. Sic Cassiodorus quoque: Hoc, inquit, maximum uitium est, quo laborant homines, ut quod post peccatum suum maxime ad excusationis confugium, quasi penitentiam se confessione prosternat: quod peccatum inter summa peccata constitutum numeratum esse, quia inde nascitur, unde ad penitentiam reus tardius uenit.

**Psalm. 74**

**Cassiodo.**

¶ Quid quod geminat peccatum, si peccatum excuset, iuxta illud Gregorii, peccatum peccato addit, qui culpa quam facit, patrocinia defensionis adiungit. Cuiusmodi erant, de quibus hic dominus loquitur in euangelio, aliisque omnes, qui per hos designant, quaesierunt enim sibi folia ficus, sicut Adā & Eua, ut regerent ignominiam peccati sui. sic enim textus habet, Ceperunt omnes simul se excusare. Omnes se excusarunt, communis illa loquutio est, quum plures significare uolumus, ut quando Matthaeus dixit uniuersam Iudaeam & regionem circa Iordanem exiuisse ad Iohannem, quum uicique plures domi remanserint. Sic Ieremias: Omnes a minimo usque ad maximum intentos esse ait in auaritiam. quamuis enim liceat reperire nonnullos qui avari non sint, magna tamen turba & immensa cohors est eorum, quae per auaritia studium precipites ruunt ad inferos. Et ut maxime de omnibus hominibus loquatur hic Christus, omnes etiam homines sub peccati iugo detinentur: eorum ipso quod peccatores sunt, ad cenam non ueniunt, dicente Psalmista: Qui declinauerunt, simul inuites facti sunt. cui consonat & Pau-

**Lib. 22. moralium.**

**Sene. 3**

**Matth. 3.  
Jerem. 8.**

**Psalm. 13**



Ius, cum ait: Omnes peccauerunt & egent gloria dei.

¶ Nam porro commemorat dominus, quæ cuiusque fuerit excusatio. Primus enim dixit: Villam emi, eam est quod inuisam, rogo te, habe me excusatum. Excusationē hanc ad superbiam reprehensionem refert Augustinus, quoniam in uilla empta dominatio notatur, ideoque & hic superbia castigat, cum ferè in dñum & potentiā supbia se quoque ingerat, teste Sapiente: Dominatur homo homini, sed sibi tantum in detrimentum. Villam hanc olim licitatus est & emit Lucifer, primus ille superbiæ filius, qui dum adfectat dominium, regnum amisit cælorum. Emit eandem & primus homo in paradiso, & quis ante potentissimus esset rerum omnium dominus, tamen cum nollet esse deo subiectus, sed illi æqualis, eo profunditatis demersus est, ut & dominium omne amitteret, & a pulcibus pediculisque impeteretur. Et bene hic orditur dominus a superbia, quæ initium est deficiendi a deo, & qua homines grauissime peccant. Ut recte filium suum admonuerit Tobias, ne unquam sineret superbiam dominari in animo suo, quoniam in illa exordium sumpsit omnis perditio. Hieronymus, Ambrosius & Gregorius hic auaritiā intelligunt, sunt enim qui uillas emant ex auaritia, ut inde census & redditus magnos colligant, sunt etiam qui dominatiōis maioris gratia emant, & quamuis superbia maior grauiorque sit quam auaritia, tamen hæc nescio quomodo magis irretit animum hominis, peccataque & plura & maiora parit, siquidem malorum omnium radix est auaritia. Hinc illud Ambrosij: Neque ille qui studiis intentus inferioribus, possessiones sibi terrenas coemit, regnum cæli potest adipisci, cum dominus dicat, Vende omnia tua, & sequere me.

¶ Quam proprie autem mores hic depingit superborum & auarorum. Ait enim: Neesse habeo exire, & uide-re illam. Neesse, inquit, habeo, quasi necessarium ratus se in superbia & auaritia sua permanere debere, iuxta illud Sapientis: Existimauerunt lusum esse uitam nostram, & conuersationē uitæ cōpositā ad lucrū, & oportere undecūque etiam ex malo acquirere. Deinde ait, neesse habeo exire. Ecce quia superbi & auari exeunt. Exit autē, quisquis sola exteriora cogitat propter substantiam, fastidi-

Y y

Rom. 3.

Augustin.

Ecces. 8.

Isaie. 14.

Gene. 1.

Ecc. 10.

EJob. 14.

1. Tim. 6.

Ambrosij.

Sapi 15.

Gregorij.



unt namq; spiritalia omnia, & quæcunq; animæ salutî conducunt, insipida videntur & ingrata. gratum autem nihil credunt, nisi sordidum istud mundi huius lutum & quæstum. Ad hæc temeritatem & præsumptionem hominis uide. ait enim, necesse habeo uidere uillam. Lubentius aspiciunt auari pecuniam, & quicquid est bonorum temporalium, quàm solem hunc lucidissimum, nec quicquam eis suauis est, neq; acceptius est bonis istis, in quæ tora mēte incumbunt. Quia ubi thesaurus tuus, ibi & cor tuum est, dicit dominus. & Sapiens, Et quid prodest posses fori, nisi quod cernat diuitias oculis suis?

**Matth. 6**

**Eccles. 5**

**Longe v-  
sire redē-  
prio per  
maginem  
crucifixi.**

¶ Et tamen cum omni ista tum insolentia tum auaritia, ait ad seruum: Rogo te, habe me excusatum, Bene quidē humilitas hic sonat in uoce, sed superbia interim relucee in actione. Sic omnes faciunt usurarij, perniciēs pauperū, pestis reipub. putant enim post longi temporis uel etiam totius uitæ usuram, egregie se placituros satisq; facturos deo, si imaginem aliquam crucifixi erigant in monasterio, tuncq; bonos illos fratres obtinere rogant, ut pro se deum orent: neq; tamen ab auaritia & cœnore desistunt, quasi re bene gesta, sic se excusatos purant: sed frustra id agunt, nihil efficiunt. oportet rem iniuste partam restituere. oportet concupiscentiam & illicitam istam habendi libidinem abijcere. oportet salutaria magis diligere quàm hæc terrena. Verum hac de re aliàs, quoniam multi diuites sunt etiam sine peccato.

**Augustin.**

4. ¶ Alter dixit: Iuga bouum emi quinq;, & eo probare illa. ubi Augustinus intelligi uult concupiscentiam oculorū & auaritiæ studium, quamuis & infidelitas hic potest intelligi. cum enim quinq; sint in nobis sensus exteriores, quicunq; audire non uult, nisi quod sensibus percipit, is iam iuga bouum emit. bobus enim aratur terra. & isti terrena tantum credere uolunt, ut nunc quoq; faciūt

**Gregori.**

nostrates sacramentarij, qui ideo etiā cenam æternæ felicitatis negligēt. Gregorius curiositatem hic intelligit, namq; & nos per quinq; iuga bouum, quinq; accipim<sup>9</sup> corporis sensus, paria quinq; in utroq; sexu. isti dum exteri<sup>9</sup> us oblectare se cupiunt curiosius, bonorum celestium obliuiscuntur. Graue namq; est curiositatis uitium, quæ dum

**Curiosi-  
tas.**



cuiuslibet mentem ad inuestigandā uitam proximi exte-  
 rius ducit, semper em̄ sua intima abscondit, ut aliena sci-  
 ens, se nesciat: & curiosi animus quāto peritius fuerit ali-  
 eni meriti, tāto fiat ignarus sui. Et hoc est q̄ dicit, Vado p̄  
 bare illa: quæ proprietates una hominū est curiosorū, ten-  
 tare & experiri omnia. Viriū istud hæreditarium habem⁹ **Gene. 3.**  
 ex Eua, quæ, q̄a per curiositatē credidit serpenti, misere **Gene. 34**  
 decepta est. Dina q̄q; filia Iacob cū curiosula cuperet uide-  
 re mulieres regionis istius, à Sichem uiolenter tractata &  
 deflorata, causa exitit magnæ cladis. Herodes etiā ex cu-  
 riositate perebat signū uidere à dño. Quid multa? curiosi **Luce. 23**  
 tas in hodiernū usq; diem multas perdit & uirgines & mu-  
 lieres. sed iam olim uitiū hoc prohibuit Paul⁹ iuuenulis  
 uiduis, dicēs: Sunt quædā uiduæ adolescentiores quæ ocio-  
 sâ discunt circumire domos, nō solū ociosæ, sed & uerbo-  
 sâ & curiosâ. Neq; tamen mulieribus tm̄ propriū est hoc **1. Tim. 5**  
 mali genus. sunt enim & uiri in suo genere satis curiosi,  
 de cuiusmodi uiris Paulus: Audiui⁹, inquit, inter uos q̄s **2. Thess. 5.**  
 dam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agē-  
 tes, n̄s denunciamus & obsecramus in domino Iesu Chri-  
 sto, ut cum silentio operātes, suum panē manducent. Am- **Ambrosi⁹.**  
 brosius ait sententiam hanc sibi non displicere, quod qui-  
 dam per istos tres hic se excusantes, intelligūt populum  
 triplicem, gentiū, Iudæorum & hæreticorum. Primus iste  
 qui uillam emit, gentes repræsentat: quæ cum auaræ fue-  
 rint & immundæ, indignæ quoq; extiterunt quæ cœna il-  
 la fruerentur. Omnis enim immundus & auarus (est au- **Ephē. 5**  
 tem auaritia hæc idolorum seruitus) non habet partem in  
 regno Christi & dei. Is autem qui iuga bouum emerat, Iu-  
 dæos refert Mosaicæ legis iugo subiectos, quæ quinque  
 iugis (hoc est, libris) continetur. Sic & Petrus legem iu- **Actū. 15.**  
 gum uocauit in concilio, dicens: Quid tentatis deum, im-  
 ponentes ceruicib⁹ discipulorum iugum, quod neq; nos,  
 neque patres nostri portare potuerunt? Et quamuis egre-  
 ac duriter tulerint iugum istud Iudæi, frustra tamen la-  
 borarunt, quia non peruenient ad cœnam agni nostri  
 immaculati, quamuis in primitiua ecclesia complures  
 reliquerunt iugum legis, ut peruenirent ad uitam æter-  
 nam. Sic itaque & nunc omnes Christiani liberi sunt



**Psalm. 2** à iugo Iudaico, clamantes ad dominum: **D**isrumparum uincula eorum, & proiciamus à nobis iuga ipsorum. (de hæreticis uide homilia sequenti.) Et quamuis iste quoque obstinatus est, petit tamen se excusari, sed frustra: neque enim expurgabit illum seruus apud dominum suum, qui potius hoc faciet ei quod Samuel Sauli, quando dicebat hic ad Samuelem: **N**unc porta quæ so peccatum meum, & reuertere mecum, ut adorem dominum. respondit autem Samuel, **N**on reuertar tecum, quia proiecisti sermonem domini, & proiecit te dominus, ne sis rex super Israel. **Y**erum miseretur nostri dominus deus noster, neque abijciat nos à facie sua, Amen.

**HOMILIA TERTIA DOMI-**  
**nice tertia post festum**  
**Pentecostes.**

**1. Tim. 2**

**D**eus omnes homines uult saluos fieri, cunctosque ad cœnam regni cœlestis conuocat. parata sunt omnia, non solum ad eam pertinentia, sed etiam uiam ad hanc cœnam sternerentia, scilicet naturales comoditates & dispositiones, lex euangelica, salutifera sacramenta, passio domini, exempla sanctorum, qui albis induti stolis, agni cœnam adierunt, fastidiunt hanc tam benignam inuirationem immanes Turcæ ac Tartari, reliquæque feræ nationes. despiciunt obstinati Iudæi, Moysi iugo nondum exoluti. aspernâtur peruersi hæretici. Hæresis enim

**Ambrosi.**

(ut præclare scribit Ambrosius) uelut Eua, sermineo affectu fidei tentat rigorem, & lubrica facilitate prolabens, lenocinia falsi decoris affectat, intemeratam negligens ueritatis pulchritudinem: quemadmodum femina blandiloquentia sua uiri etiam fortissimi pectus ad quoduis facinus perpetrandum expugnat, sicut ex Adam ab Eua decepto pater, & (ut inquit Sapiens) nequitia mulieris immurat faciem eius. Quidam etiam Christianorum conuiuium istud arrogantia præpediti, accedere grauantur: si sunt qui uillam emerunt, eamque uana quadam uoluptate pellecti, uidere cupiunt, Alij nimia habendi cupiditate de-

**Gene. 3**  
**Ecci. 25**



tinentur, & ij sunt qui quinque iuga boum emerunt, atque  
 ea probare cupiunt. Alij propter ductam uxorem ueni-  
 re non possunt, per quos intelliguntur uoluptuarij illi,  
 laute opipareque perpetuo uictitantes, carni usque adeo affi-  
 xi, ut ab illa nulla ratione diuelli queant, ueluti mariti  
 uxoribus adhaerent. Hoc articulo taxantur socordes ac pi-  
 gri, quo immodice sibi indulgentes, corporis curam diui-  
 no cultui praeferunt. Notantur & fornicatores, atque uen-  
 tri gulaeque dediti, qui carnem loco sponsae habent. Neque  
 uero existimes dominum hisce uerbis matrimonium in-  
 iustum esse significare, sicuti cauillantur haeretici Taria-  
 ni, quorum opinioni tali uia occurrit D. Ambrosius, in qui  
 ens dominum haec non in matrimonij contumeliam, sed  
 ut ea occasione maiori laude attolleretur uirginitas, lo-  
 cutum esse. Mulier enim innupta & uirgo cogitat quae do-  
 mini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu: quae autem nu-  
 pta est, cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat uiro,  
 potest & hoc modo refelli, Christum non omnes matri-  
 monij uinculo constrictos cena aeternae beatitudinis ex-  
 cluisse, sed illos tantum, qui ueneris uoluptatisque suae ex-  
 plenda gratia uxores ducunt, nam per rem iustam, signi-  
 ficari potest non incongrue res iniusta. simili modo apud  
 Lucam de usura & uillico, in quo uirtutem per uirtium de-  
 signat, quod hoc in loco dilucide explicat Gregorius. Sed  
 est quiddam hic peculiare. Superbus enim & auarus ser-  
 uos rogabant, uti sese apud dominum excusarent: luxuri-  
 osus uero non itidem, utpote adeo cuius uoluptatum ge-  
 neri addictus ac immersus, ut prorsus omni uita in me-  
 lius commutanda spe atque fiducia excidisset. Itaque simpli-  
 citer se uenire posse negat. Nam animalis homo, iuxta di-  
 ctum Pauli, non percipit ea quae sunt dei. stultitia enim e-  
 illi: Cum igitur illi mons dei ostenditur, quo nisi per cor-  
 poris uoluptatum abstinentiam perueniri non potest, to-  
 tus perhorrescit, illumque nimium praeruptum ac editum  
 excelsumque esse causatur, dicitque cum Loth, Non possum in  
 monte saluari. Pater quidem caelestis cunctos pariter ad  
 aeternam uitam inuitauit. Verum huic superbia, illi  
 uero auaritia, alij uoluptas accessum prohibet.

Ambrosi<sup>9</sup>.

1. Corin. 7

Gregori<sup>9</sup>.

Luc. 19

Luc. 16

1. Corin. 2.

Gene. 19

1. ¶ Animaduertendum est & hoc quod sequitur,



- seruum reuersum nunciasse hæc domino suo. **Euangelij** præcones sæpe apud dominum conqueruntur, de contumacia eorum, qui illis obedire nolunt: ita **Petrus & Iohannes** expulsæ concilio Iudæorum, ita & **Moyſes**, cum **Dathan & Abiron** à proposito abducere non posset, dominum, ne sacrificia eorum respiceret, orabat. ita **Elias** dicebat ad dominum, **Altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus, & que runt animam meam, ut auferant eam.** **Reditum autem seruorum** explanat dominus apud **Lucam**, cum dicit: **Qui cunq; non receperint uos, exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem pedum uestrorum excutite in testimonium super illos, per quod indicauit, ut testarētur apud deum se in cassum laborasse.**
- Gregori⁹.** **Commotus** itaq; grauius paterfamilias, dixit ad seruum: **Exi in uicos, quo uerbo de signare uoluit dominus, quoniam superbi uenire contempserunt, pauperes eligi.** seruus hic renunciauit domino suo excusationem malorum, & iratus est dominus. **Intelligi** ramen hoc ipsum sane debet, non quod in deo sit commotio talis, neq; enim in ipsum cadit passio, sed sic, quia uel deus ira agit quasi irasceretur, uel quasi in ira concitata sint opera sua; ita etiam quando dicitur de deo, quod sit tristis, q; peccitudine ducatur, & in uniuersum quando dicimus iratum esse deum peccatoribus, sicut ait **Isaias**, **Ecce tu iratus es, & peccauimus, in peccatis fuimus semper.** **Plane** enim ita hic quoq; eodem modo iratus est paterfamilias inuitatis uenire nolentibus, quod tam ingrati essent, omnisq; illa seruorum inuitatio inanis. **Aut** quomodo ait per **Isaiam**? **In uacuum laboraui, sine causa & uane fortitudinem meam cōsumpsi.** **Denuo** hinc committit paterfamilias seruo, ut exeat in uicos & plateas ciuitatis, ad eos qui ampla & lata ista peccatorum semita ambulabant, de qua **Christus** etiam dixit, **lata est porta & uia spatioſa quæ ducit ad perditionem, & multi intant per eam.** **Sunt** qui non temere dixisse hic dominum putent uicos & plateas, quoniam platea lata & ampla gentes significet, quæ sine lege in amplissima omnium uiciorum uia uiuebant, quibus apostolus **Actuū. 13.** **los suos Christus** misit, sicut **Paulus** ad **Iudæos** dixit, **Vo-**



his oportebat primum loqui uerbum dei, sed quia indignos facitis uos uita aeterna, ecce conuertimur ad gentes. Vici angustiores miseram significant plebeculam Iudaeorum, idque adhuc magis liquet ex sequentibus.

3. ¶ Commissionem namque ipse suam porro explicat paterfamilias, & ait: Exi, & pauperes ac debiles, cecos & claudos introduc huc. Quam partem totam Theophylactus de Iudaeis intelligit, qui ad Christi fidem peruenerunt, principes enim Iudaeorum eiectioni sunt, nec crediderunt, imo & de infidelitate sua gloriati sunt, dicentes, an & principum aliquis in eum credidisset. Sic nimirum legis periti & scribae infatuati sunt, gratiamque dei neglexerunt: sed qui ex uulgo erant homines simplices & indolenti, qui hic caecis, claudis & debilibus comparantur, subinde admirati sunt super doctrina & miraculis CHRISTI, ideoque ad cenam hanc peruenerunt, ut Petrus, Iohannes, alijque apostoli & multa hominum millia, qui baptizati sunt, & crediderunt in dominum, ubi impletum est illud dictum Pauli: Elegit deus infirma mundi, ut confundat fortia. Pontifices & principes Iudaeorum obstinati perierunt, multi autem pauperes & publicani gratiam dei consequuti sunt, atque ad cenam domini peruenerunt. ita ad eos dixit etiam dominus, Amen dico uobis, publicani & meretrices praecedent uos in regno dei.

¶ Quando autem triplices hic personae commemorantur, Gregorius eas sic exponit: Pauperes & debiles sunt, qui iudicio suo apud semetipsos infirmi sunt. Caeci uero, qui nullum ingenij lumen habent: claudi, qui rectos gressus in operatione non habent. Si ita penitus iam introspiciamus, quo pacto uitia morum morbis huiusmodi designentur, uidebimus peccatores fuisse, qui primum uocati uenire noluerunt: peccatores quoque extrinsece, qui deinde postremi in uicis & plateis inuitati sunt. Quid igitur dicendum ad hoc? sane responder Gregorius, & dicit peccatores superbos condemnari, humiles autem eligi. sic enim saepe, ut qui pauper est & in mundo contemptus habetur, in seipsum digressus conuertatur ad deum: sicut filius iste prodigus, cum uideret sibi etiam sibi

Johan. 7

Matt. 7

Actu

1. Cori. 1

Matt. 23

Gregori.

Gregori.

Luc. 15



- quas deesse, dixit: **Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, & ego miser hic fame pereor?** Gregorius in hoc etiam inducit figuram illam, quando **Dauid** inuenerat puerum **Aegyptium**, cum persequeretur **Amalechitas**, sed ego missum hoc facio. **Posunt etiam hinc induci uerba ista, quod uocantur pauperes, de quibus apud **Marthæum**, **Beati**, inquit, pauperes spiritu, cuiusmodi sunt omnes, qui se in hoc mundo pauperes existimant, cum nequeant bona adsequi cælestia, sicut & **Iacobus** inquit: **Nōne deus elegit pauperes, diuites in fide, hæredes regni, quod promissit deus ihs, qui diligunt illum?** Sic etiam uocauit deus debiles & imbecilles corpore, sed fide & spiritu fortes, quomodo se **Paulus** cum ægrotat, fortiolem atq; potentiolem esse adfirmat. **Quod ad cæcos attinet, bona sane et felix est sanctitas eius, qui uidere non uult uanitatem mundi huius, sic nimirum cæcus fieri cupiebat **Dauid**, dicens: **Auerte oculos meos, ne uideant uanitatem. sic **Iob** pepigit cum oculis suis, ut etiam uirginem ne uideant. Qui ergo cæci sunt, & tamen uident, ueniunt ad cœnam, eo quod illuminantur, sicut cæcus iste apud **Lucam**, cui dixit dñs: **Quid uis ut faciam tibi? Qui respondit, **Rabboni**, ut uideam lumen.********
- ¶ **Quotquot autem cæci sunt, neque cæcitatē suam agnoscunt, isti sane ad cœnam non ueniunt, sicut obstinati & perfidi **Iudæi**, quibus dixit dominus: **Si cæci esseris, peccatum non habereris. iam autem cum dicatis uos uidere, peccatum uestrum manet. & paulo ante, **In iudicium ego ueni in mundum istum, ut non uidentes uideant, & qui nudent, cæci fiant. Sic etiam qui claudicant in operibus bonis, ad cœnam hanc uenire non possunt, nisi prius rectifuerint, iuxta illud **Eliæ**, **Usquequo claudicatis in utrâque parte? Si dominus deus uester est, sequimini illum. Huc facit etiam illud quod **Paulus** ait: **Remissas manus & soluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus uestris, ut nō claudicans quis erret, magis autem ut sanetur. Spiritualmente enim loquēdo, cum primum quis peccatū morale opere complect, claudicat coram domino: illud uero quādo rursus declinat per pœnitentiam & contritionem, rursus sanatur & fit rectus, unde & **Dauid** sic orauit ad dominum:**********

1. Reg. 30

Marth. 5

Jacob. 1.

1. Corin. 12

Psalm. 118

Job. 31

Lucæ. 18

Johan. 9.

3. Reg. 18

Heb. 12



Perfectos fac domine gressus meos in semitis tuis, ut non moueantur uestigia mea. *Psalm. 133*

4. ¶ Reuersus itaq; seruus, dixit domino: Factum est ut imperasti, & adhuc loc<sup>o</sup> est. Israelita, inquit Theophylactus, fuerunt intra ciuitatem, ut ij qui legem receperat & ciuiliorem uitam sortiti: gentiles uero a lege dei alieni erant, & rusticitate magna uersabantur, teste Apostolo. ideoque per eos designantur, qui inter sepra iacebant. septem autem, discrimen inter deum & gentiles accipimus, quod quid aliud esse puras quam peccatum? Gregorius quoque fere ad hunc modum intelligit, & ait: Multi ad cenam dominicam ex Iudæa collecti sunt, sed locum superni conuiuij multitudo illa non impleuit, & locus adhuc uacuis gentibus remansit. Id ita intelligunt sancti patres: quia enim tertia angelorum pars corruit, ut ait Iohannes, Draco iste magnus cauda sua trahebat tertiam partem stellarum cæli, hoc est angelorum: iam ruina ista per Christum in homine restituta est, dicente Propheta regio: Iudicabit in nationibus, implebit ruinas. Atqui impletio illa ruinae non satis consummata est in Iudæis: id eoq; & gentes uocatae sunt ad implendum numerum beatorum, qui soli deo cognitus est; & de quo Iohannes, modicum, inquit, adhuc tempus est, donec compleantur conserui eorum & fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut & illi.

¶ Exi itaque, inquit pater familiâs, in uias & sepes, & compelle intrare. Atque hæc tertia est uocatio, ut ait Ambrosius. Prima enim facta est per patriarchas & prophetas, secunda per Christum & apostolos & Iohannem, tertia post diuisionem apostolorum inter gentes, de qua prædixit Dauid: Exultabunt ligna sylvarum a facie domini quia uenit. Ligna sylvarum gentes sunt: ligna utique rudia, crassa & non leuigata, planeq; sterilia ratione infidelitatis. quod si etiam fructus produxissent, acidi & stripti ei fuissent, ingratißimiq; saporis. Quotquot igitur ex gentibus uenerunt ad cognitionem Christi, uelut ex horridis sepibus prodeuntes adcurrerunt.

¶ Considera tamen quomodo inuitatio ista omnino noua quadam forma proponitur. ita enim habet, & com

*Theoph.*

*Roma. 2*

*Gregor.*

*Apoca. 21*

*Psalm. 109*

*2. Tim. 2.*

*Apoca. 6*

*Ambros.*

*Psalm. 95.*

*Theoph.*

Z



pelle intrare. Siquidem quamvis plane uoluntarium sit credere, tamē ut sciamus magnæ uirtutis dei esse, credidit se gentes, in tanta uersantes ignorantia, ideo dixit, **Com pelle.** Quoniam nisi præclara quædam uirtus prædicata fuisset, & ingens uerbi diuini ueritas, quo tandem modo fieri potuisset, ut gentes quæ penè usq; ad rabiem & insaniam in cultu idolorum erant impediti, & secundum carnem uiuebant, tam cito conuersæ fuissent ad confessionem nominis Christi & uitam spirituales? Potest etiam compulso ista non ad uirtutem tantum uerbi & prædicationis extendi, sed etiam ad efficaciam operum & signorum, quibus gentes omnium ualidissime ad fidem Christi sunt impulsæ.

**Gregori<sup>o</sup>.** Gregorius hoc ad uniuersalem omnium hominum uocationem refert, & ait: Alij enim uocantur, & ueniunt: alij autem compelluntur, ut intrent. Nam sunt nonnulli, qui facienda intelligunt, sed hæc facere desistunt, his plerumq; contingit, ut eos in carnalibus desiderijs suis mundi hui<sup>9</sup> aduersitas feriat, cumq; se frangi in desiderijs suis conspiciunt, quid de se auctori suo debeant, commemorant.

**Psalm. 82.** sic inquit **Dauid,** Imple facies eorum ignorantia, & quærent nomen tuum. & item **Isaias,** **Sola** uexatio dat intellectum. sæpe enim aduersitates profunt, & à peccatis auertunt homines, atque ad uiam salutis conuertunt. quomodo non raro impelluntur homines multi ad operandum bonum, auctore **Psalmista,** **In** chamo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximat ad te.

**Psalm. 37** **Vulgus** quidem sic loquitur, sed tamen uere: **Quisque** cum se mergi sentit, & aquam ore haurit, natare discit. **Aut** quid aliud est quod uerbis tantum diuersis, re eadē diuinus ille psalter ait, **Ad** dñm cum tribularer clamauit.

**Psalm. 119** **Qua** itaq; domine libera à necessitatibus animam meam. **La** hoc est quod ait **Gregorius,** sæpe nonnulli ad temporaliē gloriam proficere uolentes, aut longa ægritudine tabescunt, aut afflicti iniurijs concidunt, aut percussi gravibus damnis affliguntur, ut in mundi dolore uideant, quia nihil considerare de eius uoluptate debuerunt, seque ipsos in suis desiderijs deprehendentes, ad deum corda conuertunt.

**¶** **Atque** hi isti sunt, quibus dicit dominus per prophetam



tam. **E**cce ego sepiam uias tuas spinis. **T**unc enim spinis obsepit dominus uias nostras, quando in eo quod inique concupiscimus, stimulos inuenimus dolorum, quādo malis concupiscentijs multa in mundo occurrunt aduersantia, quando uetamur acquirere quod nequiter appetim⁹. **R**equiris eius rei exemplum? **E**n Paulum tibi, de quo dicit **A**ugustinus: **C**um Petrum & alios solo uerbo uocasset, Paulum non solum uoce compescuit, sed etiam potestate prostrauit, & primum quidem cæcitate corporis corripuit, ut ad desideratum animæ lumen ueniret. **U**bi est igitur quod isti clamare consueuerunt, liberum esse credere uel non credere, cui uim **C**hristus intulit, quem coegit? **E**cce habent Paulum apostolum, agnoscant prius in eo cogentem & postea docentem, cum Petrum & alios apostolos suo uerbo uocasset, Paulum non uoce compescuit, sed etiam potestate prostrauit, prius ferientem, & postea consolantem. & quis ille sic compulsus intrauit in ecclesiam, in eadem tamen plus alijs omnibus laborauit. **N**onnulli per sepes gentes intelligunt, quæ pro suis legibus uixerunt ciuilitate, ut **R**omani, **G**ræci, **S**partani, & **A**thenienses: per uias autem barbaros accipiunt, qui sine legibus uixerunt, ut **S**cythæ & alij.

Oreg. 2

23. qu. 4. quis nos.

Augustine

1. Cor. 15

Bar. 5

Apo. 7

5. ¶ **R**ationem, cur ad sepes & uias mittat, dominus adsignat huiusmodi, ut impleatur domus mea. potens ille & magnificus dominus impleri uult domū suam, ut ut sit parentissima, dicente propheta: **M**agna est dom⁹ dei, & ingens locus possessionis eius. **D**e immenso illo numero scribit idem iste, qui & uidit **I**ohannes dilect⁹ **C**hristi ap⁹, cum ait, **V**idi altam turbam quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus populis, nationibus & linguis, stare ante thronum agni. **E**t deinceps concludit dominus, dicens: **D**ico uobis quod nemo uirorum illorum qui uocati sunt, gustabit cœnam meam. **U**bi tu principio animaduerte, quod dominus sese ostendit esse patrem familiās illum, quod cœnam parauit felicitatis æternæ.

¶ **D**einde horrendam istam audi uocem **C**hristi, quod nemo eorum qui uocati sunt, uenturus sit ad cœnam: nō secus, atque illorum quotquot egressi sunt **A**egyptum. **N**u. 1. 14.

Z ij



(fuerunt autem uirorum sexcenta tria milia quingenti quinſingenta, extra filios Leui, qui erant uiginti duo milia hominum) ex omnibus illis terrā promiſſionis tantū ingreſſi ſunt Iofue & Chaleb: ita hic quoq; de inuitatis ſentendum, nō ſic tamen, quaſi nemo eorū qui uocati ſunt,

**Matth. 22** uenerit ad cœnam, ſed quia exiguus eorū qui uēturi ſunt, numerus erit, ſi conſeras condemnatis, ſic em̄ multi ſunt uocati, pauci electi, dicit neminem ueniſſe. Vel certe de iſto loquitur, qui aut infidelitate, aut peccatorum amore uenire noluerunt, quoniam cœnam illam non guſtabunt, atque ex iſis Iudæi præcipue, quorum quātula obſecro parci credidit in Chriſtum? quando etiam Iſaias dicit, Nſi dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma & Gomorra facti fuiſſemus. Quando itaq; aduertiſtis diſcretiſſimi, quā clementer nos dominus ad cœnam inuitarit ſalutis æternæ, ne negligamus ipſi. Ecce enim ille uocat per ſe, uocat per angelos, uocat per patres, uocat per prophetas, uocat per apoſtolos, uocat per paſtores, uocat etiam per nos, uocat plerunq; per miracula, uocat plerūque per flagella, uocat aliquando per huius mundi proſpera, uocat aliquando per aduerſa.

¶ Nemo igitur, cum uocatur contemnat, nemo ſe excuſet, quis ſcit enim an denuo ipſum uocaturus ſit dominus an non? Ecce per Salomonem dicit dominus, Tunc inuocabunt me, & ego non exaudiam: mane exurgent, & non inuenient me. Sic ſic inquam accidit Eſau, qui cum uendidiſſet primogenita, factum eſt inde, ut petens ex patre benedictionem, repulſus ſit, neq; inuenit penitentia locum, quamuis illam cum lachrymis quaſierat. Sic etiam quinque fatuis uirginibus euenit, quæ quum ſerō nimis uenirent, clauſa iam ianua, clamantes quoq; Domine domine, aperi nobis, nihil aliud audierunt, niſi hoc unum, Neſcio uos. Sequamur igitur & ultro ſuſcipiamus uocationē dei, feſtinanter & ardentè diligamus celeſtia, atq; fugiamus mala, omniumq; iſtorum adiutorem ſedulum habemus mediatorē illum dei & hominum, per quem impetrare cuncta poſſumus, dum modo noſtra in eum ſeruentè exardeſcat charitas, qui uiuit & regnat deus cum patre & ſpiritu ſancto per ſecula, Amen.

**Proue. 1**

**Heb. 12**

**Matth. 25**